

L. B. V. D. T. O. M.

DISQVISITIO PHILOLOGICA
TA

ENONTA,

Luc. XI. 41.

Leviter Expendens :

Qvam

*Cum consensu Ampl. ad Auram Faciū.
Pbil.*

Sub PRÆSIDIO

ISAACI BÖCKLUND

Hactenus L. L. Orientalium, jam a
Theol. Prof. Ordinarii;

*Pro solitis in Philosophia honoribus,
Eruditorum censure placide s̄istit*

HENRICUS L. BRUNNERUS,
WIBURGENSIS,

Die D. V. XXI. Junii Anno.
MDCCXXXV.

Loco horisqve consuetis.

ABOÆ, Exc. Joh. Kiämpe, R. Ac. Typ.

Viro Generoso Nobilissimoque,

**Dn. BARTH. PHILPPIO
SCHULTE,**

Centurioni Legionis pedestris ad No-
vam arcem & Savolaxiam maxime
strenuo, Avunculi loco ætatem
colendo.

Siquidem mos ille, viris l. in eminentia
cuis, factus dicare literarios, tan-
multumque anxius hesi, utrum & qui-
& pondere rerum destitutas, inscriberem
tellexi, me tanto minus effugere posse
ti, si beneficiorum in me collatorum adeo
mollem, quorum extantiora sunt documen-
quum & verissimum sit juxta hoc, non
rum esse, ex Nominibus Vestris, tiroci-
accipite, Vir Generose & Patrone Amplis-
mine, pietatis & reverentiae mee testan-
tione offerre debui. E-

Nominum Vestro-
Cultor hu-
Henricus Laur.

Viro Consultissimo Amplissimique,
Dn. SAMUELI
FORSEEN,

Provinciarum, Aboënsis, Biörneburgensis, & Alandicæ Secretario Adcuratissimo, Solertissimo, Patrino & Nutritio ultra biennium ut propensissimo, ita reverentia qva par est nunquam non suspiciendo.

positis, l. variarum rerum scientia conspatum non ab omnibus est probatus; non diu bns, hasce meas, quanquam omni nitore pagellas. Nam æqua pensans lance incensuram hominis turpissimi, b. c. ingra- immemor essem, ut publice ea prædicare ta, quam ut silentio præteriri queant; parum splendoris & patrocinii auctoratum tenue. Ignoscite itaque, rogo, & sime, munus, quod duplici, ut ajunt, mda causa, cum omnis felicitatis adpreca- go statem permanebo

rum Amplissimorum
millimus
Brunnerus.

Viro admodum Reverendo atq; Praeclariss.
Mag. JOHANNI NORGREEN,
Pastori in Randasalini longe meritis-
simo, & adjacentis districtus Præpo-
sito gravissimo, dignissimo.

Plurimum Reverendo & Clarissimo Viro,
Dn. ANRÆÆ NORGREEN,
Pastori Ecclesiæ, qvæ DEO in Ilo-
manz Careliæ colligitur, fidelissimo.

Perquam Reverendo Viro & Eruditissimo
Dn. Diacono Legionis Pedestris Savolaxie
vigilantissimo,

AND. NORGREEN.

Omnibus, ut vinculo affinitatis ne-
cessitatisq; junctis; ita Fautoribus
suis benignissimis, certissimis, ho-
norandis,

Scriptriora nec studia, cum votis calie-
dissimis, dat, dicat dedicatque

Auctor & Respondens.

§. I.

Ancipites diu multumqve
tenuit eruditos, tam ve-
teres, qvam recentiores,
modus interpretandi hi-
storias, phrases & voces in Codi-
ce sacro Græco comprehensas.
Qui hebraismum in eo regnare
statuerunt, existimarunt textum
Græcum singulari qvasi summi
Numinis consilio, ex veteri ser-
mone hebraico esse effigiatum,
adeoqve ad eundem ita compo-
situm, ut tota dictionis indoles ab
illo dicendi genere, qvod in profa-
nis occurrit, tantum absit, ut
nullo pacto in censem ejusmodi

A scri-

scriptorum venire queat, sed potius propriæ sit interpretationis etiam in minimis. Alii rursus, usum quidem hebraicorum ad miserunt; simul tamen stilum sacrum cum loquendi ratione Demosthenis, Xenophontis & aliorum scriptorum, non solum adeo amice conspirare contenderunt, ut si Demosthenes, Xenophon & ceteri rem eandem, eadem perspicuitate proponere voluissent, hebraismos vix aut difficulter evitare potuissent. Quamobrem & juxta monuerunt, bonum interpretem Sacrae Scripturæ, in explanandis illustransque historiis, phrasibus, vocibusque, quæ obscuritate aliquâ involutæ, difficultatibusque obstructæ sunt, nonnunquam ex monumentis gentium lucem oportere lucrari suam. Hanc sententiam, quanquam paulo duri-

or esse videatur, tanto minus amplecti dubitamus, qvanto est evidentius demonstratu, plurima inveniri loca in sacris pandectis, qvibus Xenophon potissimum fructuose ancillari deprehenditur. Et inter illa, sufficiat nobis vel unicum indicasse locum, qvem adeo torsisse ingenia Philologorum novimus, ut difficillimum sit perspectu intanta tamqve mira sententiarum varierate, qvæ illarum sit verissima. Leguntur n. emphatica verba Lucæ XI. 41.
 πλὴν τὰ εὐότα διπλάσια σύντο. καὶ οὐδὲ πάντα καθαρὰ ὄντα εἰσιν. Hæc ipsa verba loco speciminis academicæ B. C. D. nobis exponenda & pro viribus illustranda elegimus. Tuam interea L. B. obnixe rogamus humanitatem & favorem, velis pias hasce nostras meditatiōnes, levi qvamqvam fatemur elaboratas brachio, pro innocu-

is adspicere , & æqui bonique
consulere.

§. II.

Ordo svaderet tractationis , ut
varia variorum præmittere-
mus sententiarum divertia : sed
opus illud majoris cum esset la-
boris & molis , qvam artis & u-
tilitatis ; igitur pauciora tantum
attingamus , potioraque enum-
remus . De sensu ergo loci al-
legati dissentientes , generatim
ita distingui videntur , ut pluri-
mi heic ipsius Christi , nonnul-
li vero Pharisaorum doctrinam
proponi dicant . Qvi hoc statu-
unt , in duplīci deprehenduntur
differentia . Qvidam enim pu-
tant directe a Iesu citari dogma
Pharisaorum , sed tamen cum dis-
plicentia ac reprehensione , ac
si sensus esset ; Ea que apud vos ex-
stant & obtinent , sunt , date elec-
mofynas , atque omnia vobis sunt mun-
de .

5

¶. Verum sic abrupte nimis a superioribus ad eam sententiā fieret transitus , de quo lector ne divinare quidem poterit. Præterea nullo probatur exemplo, vocabulum ἐνότα eum admittere sensum , qui hic fingitur. Non nulli verō ironice prolatum hoc dogma Pharisæorum ajunt , hoc modo: *Date sane eleemosynam , & cuncta , pro opinione vestra , erunt pura.* Sed & hanc orationis conversionem eadem premit difficultas obscuritatis , & inepta cum præcedentibus connexio: ut nihil moneam , qvam inconveniens & indigna sit Christo ironia ejusmodi & irrisio , maxime qvā nulla correctione seqvente mitigetur.

§. III.

Reliqvi autem in eo consentiunt , qvod ipsius Servatoris mentem in subiecto hoc loco sibi statuant; verum qvod ad distin-

stinctum vocabuli $\lambda\alpha\tau\pi\omega\gamma$ sensum
 attinet, in diversa abeunt. Multi
 militarunt pro sententia, tan-
 tum esse in eleemosynas largien-
 dum, quantum maxime faculta-
 tes nostræ legitime acquisitæ &
 possessæ permittunt: induci po-
 tissimum eo, quod quum $\lambda\alpha\tau\pi\omega\gamma$
 $\tau\pi\omega\gamma$ ejusdem originis esse con-
 stet ac imperson. $\tau\pi\omega\gamma$ licet, etiam
 $\lambda\alpha\tau\pi\omega\gamma$ idem significare videan-
 tur, atque $\epsilon\pi\tau\pi\omega\gamma$ $\tau\pi\omega\gamma$ que fa-
 cere licet, que in nostra potestate
 sunt, h. e. pro parte virili, quan-
 tum fieri potest. Sed quanquam
 indubitata auctoritate scriptorum
 Græcorum constat, phrasin $\epsilon\pi\tau\pi\omega\gamma$
 $\tau\pi\omega\gamma$ hac significatione valere;
 inde tamen non licet de simpli-
 ci $\lambda\alpha\tau\pi\omega\gamma$ mox idem conclude-
 re. Nam, quemadmodum Ro-
 mani pro vocabulo *extemplo* i. e.
~~statim~~, nunquam simplex nomen
~~templum~~ eodem sensu ponunt; i-
 ta $\lambda\alpha\tau\pi\omega\gamma$ invicem pro $\epsilon\pi\tau\pi\omega\gamma$
 $\tau\pi\omega\gamma$

accipi, tamdiu pernegas-
mus, donec exemplo a scriptori-
bus classicis Græcis liquido de-
monstratum fuerit. Deinde quod
majus est, repugnat illud ipsum
partim *η συναρτεια* textus: nulla n.
tunc apta esset ratio conclusionis,
multo minus comparationis; par-
tim etiam veritati Theologicæ,
qvæ omnem nostram munditiem
ex bonorum operum merito qvæ-
fitam damnat. Nam quemadmo-
dum ex puritate partis exterioris
poculorum, ad munditiem eo-
rum, qvæ insunt, non valet ar-
gumentatio; ita nec ex bonitate
externa actionis, ad moralitatem
veram, seu bonitatem internam,
licet tuto concludere.

§. IV.

NOnnulli parciores fuere priori-
bus: non qvod nihil, sed
quod nihil certi dandum, statue-
rint. Existimarunt enim, *τις ο*

νόμος ejusdem tere esse sensus atque *čn τῷ παρόντων*, h. e. ex praesenti copia, item pro renata, icilicet quantum cuiq; placeat, & secundum ea, quæ suppetunt, aut quæ adsunt, pro liberalitate & libertate. Qvam sententiam qvis non videt ineptiorum esse priore? qvapropter illam non operosa egere confutatione patet. Multo enim minus concedi potest *ni iuris* hunc admittere sensum, qvum desideretur usus. Sed & hic idem conclusionis vitium committitur: nam neq; facultas dandi, neq; facilitas sola dantis eleemosynam, actionē statim reddit bonam, dantemq; purum præstat, nisi principium internum movens, forma actionis finisq; recte se habent. Alioquin verum quidem est, obligationem non ultra facultatem extendi, sed *čn τῷ ὑπαρχόντῳ οὐ πάιει ἐλεημοσύνην*, Tob. IV.

79. & stipem hilari vultu erogandum esse, 2 Cor. IX. 8. sed hæc sola rem non conficiunt.

§. V.

Sunt autem, qui omnem munitionem adscribere videantur eleemosynis, qvæ ex superfluis opibus defumuntur. Interpretati enim sunt *τοι ενός τε* de eo, *quod superest* aut redundant: scilicet id quod necessariæ sustentationi superest, date in eleemosynam. Et ne hoc nimis absconum videatur, adjecta est hæc ratio, ut una cum superfluis divitiis, qvæ resident & dominantur in cordibus, etiam ponatur avari cordis affectus. Verum omnium minime illa superflui notio vocabulo *τοι ενός τε* affingi potest. Deinde præterquam quod longe nimis petita est illa ratio de ponendo affectu auaro ut redundante, nulla etiam foret vis priorum verborum

rum, quæ de internis & externis,
ura sint potiora, disquirunt, ad
inferendam conclusionem de su-
perfluo. Obstat denique & hoc,
qvod impium esset dictu & cogi-
tatu de Deo sanctissimo, ipsi gra-
tas fore reliquias nostræ impuris-
simæ fæcis.

§. VI.

Quid a nobis de vexato hocl-
oco videatur, tandem paucis
aperiendum est. Reperiuntur,
qvanquam pauciores, qui *in vobis*
in heic reddiderint ea que intus
sunt, seu interiora. Qvam senten-
tiam neqve nos possumus non
amplecti, qvum laculentis ea ra-
tionibus confirmaretur. Expedit
illas strictum enarrare, siquidem
ex hoc vocabulo omnis tere di-
ctionis obscuritas & sensus varie-
tas hic orta videtur. Primum i-
gitur origo Grammatica vim vo-
cis *erupta* perspicue ostendit: nam-
qve

que citra controversiam existit
a verbo *τίνει*, cuius prima ac na-
tiva notio est *insum*: ea ergo in
omnibus ejus formis conjugatis
ante omnia quærenda est & te-
nenda. Deinceps usus scriptorum
Græcorum ipsi huic formæ *πολι-*
ταρχία hunc significatum satis su-
perç vindicat. Exempli ergo cl.
Raphelius ex Xenophonte, aucto-
re tersissimo & *αινησιάτῳ*, aliquot
loca in hunc sensum producit:
qvalia sunt Hist. Græc. lib. 2. p.
360, Λύσανδρος δὲ τοῖς αρχαίοις πολι-
τεῖς παραδόθει τὸ πόλιον, καὶ τὰ ἐνότη-
τά. Lysander civibus pristinis op-
pidum & universas in eo res trādidit.
Et lib. 4 p. 411. Οὐναὶ τὰ εἰδεῖσιν οὐ-
μένον τεῖχον αἴρει, καὶ τὰ ἐνότητα ἔλαβε.
O Enōam castellum moris cinctum,
cum omnibus, que erant in eo, cepit.
Et de Agesil. p. 523. τὰ τε ἄλλα
τὰ ἐνότητα λαβώντει, καὶ τὰ τεῖχη αἴρε-
τείχιστο. Non solum ea, que intus
erant,

erant, cupit, sed etiam mœnia, quibus cinctus fuerat. Apparet in his omnibus interiora, seu ea qvæ intus continentur, *la* *irr̄ḡ* dici, & a locis mœnibusqve ipsis distingui. Hanc sententiam Cl. Schwartzius, adductis Aristotelis & Hippocratis locis, ulterius stabilit. Tutius itaqve & hic proprietati vocis & auctorum usui inhæremus. Deniqve accedit, qvod ipse orationis contextus hunc sensum manifeste requirit. Superius enim v. 39. Christus stultum Phariseorum institutum redarguit, qvi *τὸ εξωθεν* exteriora sollicite purgarent, *τὸ εσωθεν* interiora passi coinqvinata manere. Seqvente v. 40. eatenus hoc corrigit, ut saltim in æqvali utraqve pretio habenda scire deberent, nisi aperte forent stolidi. Inde tandem hoc statim v. 41. pro interioribus potius pronunciat, qvorum

rum ratione puritatem omnem
æstimandam docet. Non ergo
ulla alia significatio huic loco est
aptior.

§. VII.

REstat demum, ut de relatio-
ne hujus vocis dispiciamus,
sive quodnam in textu subiectum
respiciat, hominesne ipsos, an
poculum patinamque ex v. 39.
Hoc maluerunt statuere, quot-
quot fere videre contigit eorum,
qui hanc notionem deinterio-
ribus defendunt. Ita Rapheli-
us, *Affentior iis*, inquit, qui ἡτοί
ἐνορθωτικαὶ interpretantur ea, que in po-
culis & patinis sunt, hoc est, potum
cibumque, τὸ πόνικες ἡτοί πόληρος καὶ τὸς
παροψιδος ut est apud Matthæum
XXIII. 26. Verum quum sic o-
peri humano externo nobilior
effectus, quam ei competit, ad-
scribatur, adeoque haec senten-
tia eodem omnino, atque prio-
res

res istæ, incommodo prematur, varia isthoc ratione amoliri laborarunt. Ita nonnulli verbis Chemnitii rem emollire conantur, eleemosynam esse medium, per quod exterius rerum hujus seculi usus nobis purificetur, & quasi licitus reddatur, sicut etiam per precationem & gratiarum actionem, 1. Tim. IV.

4. Ast dissimillima esse hæc exempla, qvilibet videt. Paulus enim fidelibus scribens, istas virtutes de tanto effectu commendat, qvatenus fide proficiuntur, Hic autem sermo fit ad Pharisæos, homines profanos, qvorum beneficentiæ moralitas non inde est æstimanda, qvod extrinsecus tantum conveniat cum lege, aut prodesse possit accipienti: nam vel ex ipsius Christi effato Matth. VI. 1. &c. liqvet, stipi ab iis datæ nullam inesse bonitatem, ne dum munditiem ista produci posse.

se. Unde qvoniām necesse est, fide animūm esse purgatum, priusq; vām qvidqvām alicujus spiri-tualiter mundūm censeri queāt, qvum mundis demum omnia sint munda, infidelib; vero ni-hil, Tit. I. 15. alii hanc senten-tiam ita supplere aggrediuntur: *interiora prius, seu animūm, ab a-varitia & rapina purgate, & deinde ab iis, quæ in poculo seu possesso-ne vestræ sunt, benefici estote: sic omnia erunt munda.* Verum sic ne minimum qvādēm in textu Lucæ reperitur monitum de pur-gando animo, si *λα ινόντα* de cibo vasis contento, seu epibus, ac-cipias.

§. VIII.

Non itaq; ve alia nobis expedi-tior videtur via, qvam ut vexatam hanc vocem *λα ινόντα* ad animūm hominūm referendam statuamus. Scilicet qvum exter-nas

nas eorum purgationes rejecisset
 Christus, & simul innuisset, ve-
 ram purificationem fieri & posse
 & debere: necesse est, ut aliquo
 indicio etiam ostēderit principiū
 internum, unde tam nobilis ef-
 fectus arcessendus: erogatio e-
 nim contentorum in vasis, aētio
 est æque externa ut lotio vasor-
 rum. Atqui vocabulum τὰ ἐνότητα
 solum huic indicio in textu inser-
 vire potest. Hinc observata tan-
 tum ellipsi præpositionis καὶ hunc
 locum planissime ita explicari pu-
 tamus: πλὴν verum, vel immo, cor-
 rigendi particula, καὶ τὰ ἐνότητα δό-
 γε εἰλεμοσόνην, secundum interiora da-
 te eleemosynam i. e. ex animo in
 regeneratione purgato, ex sensu
 internæ obligationis & caritatis,
 ex amore & reverentia virtutis,
 & ex genuina intentione: & ec-
 ce, omnia vobis sunt pura. El-
 lipsi autem illa nihil apud Græcos
 fre-

frequentius, etiam filio sacro, ut
 παιδὶ πάσον ἀρέσκω, 1. Cor. X. 33.
 οὐτούτους δὲ τελευταῖς, Ebr. XI. 12. præ-
 ter multa alia, in quibus ἡ καλὰ^{τι}
 subaudiendum patet. Attamen
 difficultatem hic objiciunt ex lo-
 co parallelo Matth. XXIII. 25.
 26. ubi ἦν ἀπὸ τῆς πομπῆς, expo-
 sitio hujus phrasios esse videtur.
 Verum contendat curatius, cui
 volupe est, hæc loca, & diver-
 sitatem deprehendet. Matthæus
 enim versibus allegatis continua
 serie de vaſorum affectione argu-
 mentatur, & demum v. 28. ἀπὸ
 τῆς κοινῆς ad Phariseorum interio-
 ra immunditiae plena applicatio-
 nem facit. Lucas autem statim
 v. 39. subsumit de Phariseis: τὸ
 δέ ἐσωθεν τοῦτο γένεται αἰτιαγόνος καὶ πο-
 νηρας. Non ergo sequentia de va-
 sis solis, sed de animis potius sunt
 intelligenda. Præterea τὸ ἔργον a-
 pud Matthæum est purgandum:

hic *la* *inōvra* eleemosyna danda,
quæ in se non est purificatio. illic
effectus, nempe mundities re-
stringitur ad vasā: hic ad omnia
extenditur. Ergo Christus hic
docet interiori per pœnitentiam
purgationi studendum esse: quod
si hat, tum non displicituram Deo
externam munditiem.

De cetero, sit soli summo gloria
in excelsis Triuni.



Monsieur, & cher Cousin,

Je ne puis laisser passer cette occasion, de vous feliciter sur votre docte, & erudite, Dissertation, pour obtenir le titre de Maitre es Arts, qui est la juste recompence due à vos études assidues, & à vos penibles travaux ; je vous felicite, de rechef, d'être parvenu au but, que vous vous êtes, il y a long tems, proposé, & d'avoir vaincu toutes les difficultés, & les amertumes, qu' ont a essuier ceux qui ont été, long tems, comme vous, privés, de leurs chers Parens. Allez donc, avec joie, recevoir, la Couronne de Lauriers, qu' Apollon vous destine. Que l' Eternel vous comble, de plus en plus, de sa grace, favorise vos pieux desseins, vous fasse prosperer, en cette vie, & vous prenne à sa droite, en l' autre; Ce sont les voeux, & les souhaits, que je fais au Ciel, pour

pour vous : & suis avec beau coup d'
estime,

Monsieur, & cher Cousin,

Votre très humble
serviteur,

Charles Norgreën.
Fils de Jean.

